



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Parabolæ Præcipvæ à filio Dei productæ ad declarandam immensam Dei  
erga peccatores Misericordiam. Cum Elucidationibus. Parabola De Rege  
rationem ponente seruis suis. Matth. XVIII. xl.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

PARABOLAE PRAECIPVAE A FILIO DEI  
producta, ad declarandam immentam Dei erga  
peccatores Misericordiam.

Parabola de Rege rationem ponente cum seruis  
suis. Matthaei 18.

CAPVT.  
XL.

**I** Deo assimilatum est Regnum calorum homini Regi  
qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum  
coepisset rationem ponere, oblatu est ei vnus, qui debe-  
bat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet  
unde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, &  
uxorem eius, & filios, & omnia qua habebat, & reddi.  
Procidens autem seruis ille orabat eum, dicens: Patien-  
tiam habe in me: & omnia reddam tibi. Misertus au-  
tem Dominus serui illius, dimisit eum: & debitum dimisit  
ei. Egressus autem seruis ille, inuenit vnū de conseruis  
suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffoca-  
bat eum, dicens: redde quod debes. Et procidens conser-  
uus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, &  
omnia reddam tibi. Ille autem noluit, &c.

PARABOLAE ELUCIDATIO.

Corn. Ianse-  
nius in Cō-  
cord. Euāg.

Intentio Domini est, hac Parabola ostendere Deum  
Patrem misericordissimum quidem esse erga peccantes:  
in eosdem tamen esse seuerissimum, si nolint illi vicissim  
benigni esse erga peccantes fratres & conseruos. Enim-  
vero, Deum Patrem Regem ac Dominum omnium, ra-  
tionem quidem requirere factorum ab hominibus: sed  
tanta esse benignitatis, ut si quis debitum suorum pec-  
catorum, etiamsi maximum sit & plurimum, cui soluendo  
nulla ratione par esse possit, agnoscens sese humiliet, &  
eius benignitatem & longanimitatem precetur: ex sola  
illius Misericordia maiorem sit consecuturus benigni-  
tatem, quam petere aut sperare ausus fuisset: vniversis  
illi

illi debito penitus dimisso. Sed rursus detestandā summam ingratitude[m] & crudelitatem eius, qui inopinabilem clementissimi Domini benignitatem expertus in remissione maximi debiti, quo quisque certe Deo est obstrictus, paruum recusat debitum in se admissarum iniuriarum conseruo remittere. Ostendit ergo hac Parabola indulgentissimam caelestis Patris clementiam in supplices seruos: si vixissim illi remisissent, unusquisque fratri suo, ex cordibus suis.

Parabola de Publicano. Luc. 18.

Publicanus à longe stans nolebat nec oculos in caelum CAPVT.  
 eleuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus XLI.  
 propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic  
 iustificatus in domum suam.

PARABOLÆ ELUCIDATIO.

Publicanus nihil aliud quam Misericordiam petit. Nulla prætendit merita: nullas adfert excusationes in peccatis: Sed libere se peccatorem confitetur. Et dum sibi Dei implorat propitiationem, hoc est, placabilitatem: significat id maxime animum ipsius torquere, quod Deum offensum haberet: nil magis optare, quam habere eam placatum & amicum. Ad eundem ferme modum precatus est & David, dicens: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim. Deinde D. N. Iesus Christus, Dico, inquit, vobis: descendit hic iustificatus in domum suam: hoc est, Dei gratia iustus effectus. In hac autem Domini sententia hoc obseruandum: quanta sit Dei benignitas, qui tam breui oratione, tamque parua pœnitentia superatus, mox pœnitentem in gratiam recepit. Neque enim Deus verba tantummodo audiuit, verumetiam animum inspexit: quem cum humiliatum contritumque comperiret, misertus benignissime egit.

L Para-

Cornilansenius.

Psal. 24.